



I, N. J.



Dmiranda nec culpanda est Arithmeti-
corum diligentia, qui dum viâ directâ
per proportionem quædam assequi non
valent, eadem obliquâ perficere ten-
tant remq; per cuniculos agendam de-
cernunt. Pariter & apud Geometras in-
ordinatorum in data figura laterum
multitudo, in triangula rectangula, ad
propositam capacitatem explorandam redigitur, ut quod
sub uno ambitu eoque inordinato non poterant per sectio-
nem in simplices partes expiscentur. Idem in Algebrai-
cis, Analyticis, Logarithmicis evenit, ubi unitate vel Siphra
assumptâ in cognitionem rei incognitæ elevamur & mysteria
quasi levi operâ tractamus. Polum æquatorem, Zodiacum
ortûs & occasûs Geographi ex cælo in terram transumse-
runt ad faciliorem locorum cognitionem, pluraque in hunc
finem facientia ex arbitrio suo posuerunt & sanxerunt. Quis
ergò cum P. Ramo acuto aliàs sed novatore Philosopho in eo
mentis suæ imbecillitatem prodat, ut dum Geometræ lineas
& figuras suas, Arithmetico characteres aliis artificibus sua
principia & postulata concedit, idem tamen nolit Astrono-
mis, quibus sine ingeniosis talibus assumtis & inventis mo-
tum, quibus cœlestia gaudent corpora varietates, varias af-
fectiones item salvare æquè possibile est quam conficere pa-
nem sine farina, aut itinera sine pedibus vel vehiculo. Licet
his, licet totum cogitando cœlum implere circulis: movere
in ullis antrorsum & retrorsum, sursum & deorsum sidera, ac
circumagere per vias suas, non tamen id verendum ne cum
Phaetonte vel erroris vel curiositatis ambitiosa dent pœnas.
Atque ô